



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrum per potentiam Dei absolutam dona habitualia Christi  
potuerint augeri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Secundò,  
quia ordi-  
natur ad  
vniõnem  
infinita di-  
gnitas u.

Secundò, Gratia Christi potest dici infinita, quia ordinatur ad vniõnem infinitæ dignitatis, scilicet hypostaticam, quæ est altissimus finis, ad quæ gratia potest ordinari. Porro huic fini gratia Christi est commensurata iuxta diuine Sapientiæ mensuram; & ideò D. Thomas dicit gratiã Christi attingere summum gratiæ secundum essentiã, quia essentia gratiæ ordinatur ad vniõnem cum Deo: atqui hæc gratia attingit eam mensuram, quæ respondet summæ vniõni: ergo hæc gratia attingit summum gratiæ.

Tertiò ra-  
tione effe-  
ctus.

Tertiò, Potest dici infinita in ordine ad suos effectus: tum, quia est principium infiniti meriti; tum, quia est principium omnis gratiæ in omnibus hominibus, etiãsi essent infiniti. Vnde in Christo est tamquã in fonte, & causa vniuersali; sicut aqua in mari, & lux in sole: in alijs autem solum participatione ab illa. Item in Christo habet omnem effectum gratiæ; scilicet meritum gratiæ præuenientis, iustificationis impij, remissionis culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, augmẽti gratiæ, cuiusuis auxilij specialis, perseverantiæ, & gloriæ: item omnium gratiarum gratis datarum. In alijs autem habet effectum limitatum. Et ita Christi gratia attingit summum gratiæ secundum virtutem.

Ad Secundum; Testimonium Magistri intelligendum est de potentia ordinaria. Ad Confirmationem; Locus iste Ioannis, videtur intelligendus de donatione, qua Pater dedit Filium mundo: vel certè quã diuinitatem donauit humanæ naturæ.

## ARTICVLVS XII.

### Vtrum gratia Christi potuerit augeri?

30 **R**espondetur, Non potuisse augeri; tum, quia Christus erat beatus secundum animam; ac proinde in termino: tum, quia gratia ipsius secundum ordinationem diuinæ Sapientiæ erat commensa summæ vniõni cum Deo.

## DVBIVM I.

### Vtrum per potentiam Dei absolutam dona habitualia Christi potuerint augeri?

31  
Scotus ne-  
gat de gra-  
tia vt est  
in se.

**Q**uidam existimãt ea nullo modo augeri potuisse, quamuis in se finita sint: quia existimant dari certum terminum perfectionis intensiue omnium habituum & qualitatum, vltra quem non possint per vllam potentiam crescere. Christi autem gratiam & virtutes habere hunc terminum. Ita Scotus docet in 3. dist. 13. quæst. 1. & 2. cui assentitur Caietanus hoc loco, & 2. 2. quæst. 24. art. 7. Idem tenet Durandus dist. 13. quæst. 1.

Richardus  
negat de  
gratia vt  
est in tali  
subiecto.

Alij putant hæc dona secundum se quidem augeri posse; tamen vt sunt in tali subiecto, non posse. Ratio est, quia capacitas animæ Christi limitata est; & penitus per illa dona expleta. Similiter capacitas Angeli limitata est, quamuis hæc sit maior quàm Animæ. Ita Richardus in 1. dist. 17. artic. 2. quæst. 4. Eandem expressè tenet Driedo De captiuitate & redẽptione generis hu-

mani, tract. 2. cap. 2. pag. 59. non tamen negat quin diuina virtute possit esse maior. Pro eadem citatur Bonauentura; sed obscurè loquitur.

Respondeo & Dico Primò, Gratia & virtutes in Christo non habent summam perfectionem intensiuam, quam per potentiam Dei absolutam habere possunt; ac proinde per eandem possunt augeri, idque sine termino. Est communis sententia Theologorum in 3. dist. 13. & in 1. dist. 17. & expressè D. Thomæ 2. 2. quæst. 24. art. 7. vbi docet Charitatem tam ex parte subiecti, quàm ex parte formæ; posse in infinitum augeri; & in hoc augmento nullum esse statum. Et Probatur; Si enim lux solis erit maior septuplo Isaie 30. vers. 26. quàm sit modo, vt fateatur D. Hieronymus, & Eiranus ibi: & communiter Doctores in 4. dist. 48. multò magis gratia quæ est participatio diuinæ naturæ, augeri sine termino potest.

Dices; Gratiam secundum se quidem augeri posse, tamen capacitate animæ esse limitatam. Respondeo; Hæc duo non consistere; quia cum omne accidens ex essentia sua respiciat subiectum capax, non potest secundum se, & extra subiectum, magis intendi, quàm in subiecto. Addo; Capacitatem animæ non esse limitatam; quia non est naturalis, nec terminis nature conclusa: sed est capacitas obediens, commensa diuine potentie. Vnde etiam non est maior in Angelo, quàm in animâ.

Dico Secundò; Gratia habitualis, & ceteræ virtutes supernaturales Animæ Christi, fuerunt summæ, quæ esse poterant per potentiam Dei ordinariam: id est, per eam potentiam quæ operatur secundum mensuram à diuina Sapientia præstitutam. Est communis Doctorum, dist. 13. & hoc est quod passim vult D. Thomas cum dicit, Gratiam Christi fuisse summam secundum essentiam. Hinc Ioan. 1. vers. 14. dicitur *Plenus gratia*. Ratio est; Quia gratia Christi iuxta diuinam dispositionem est commensa summæ vniõni, quæ esse potest inter creaturam & Deum: ergo secundum diuinam dispositionem non potest esse maior. Confirmatur; Si hæc mensura possit excedi; illa gratia ab initio non habuisset conuenientissimam proportionem cum vniõne hypostatica.

Dices; Ergo nec per potentiam absolutam augeri potuisset. Respondeo Negando Consequentiam; Quia alia mensura à diuinã Sapientiã potuisset constitui; numquam enim defuissent rationes Deo, ad maiorem & maiorem in infinitum constituendam: quamquam secundum eas rationes quas nunc reipã spectauit, conueniens non esset eam augeri. Ex his patet, nullius creaturæ gratiam posse ad tantam perfectionem ex-crescere. Nam gradus ipsis præfixus ordinatione diuinã, incomparabiliter est minor. Tempus etiam vitæ, & auxilia longè inferiora. Deinde nullius creaturæ gratia, quantumcumque crescat, poterit vnquam pertingere ad eam perfectionem, quam habet gratia Christi ex coniunctione cum persona diuina. Et hoc est quod vult D. Thomas art. 11. ad 3.

## DVBIVM